

cumenta sanctitatis in principibus apparue-
re. Tu nunc speras Minoas Aeacos & Rha-
damathos: quin potius aut diomedē Thra-
cem, aut Busiridem Aegyptium, aut aliquē
Agrigentinum Phalarim expecta. Ita plerū-
que fit, vt hereditaria regnorum successio
procliuior ad impotentiam & alia scelera, q̄
vlla tyrannys existat: ab Heroibus enim nō
semidei, sed fere noxę procreantur. Demus
tamen quempiam regem natura benignū
liberalem virtutis amantissimum: quā citis-
sime lenitatem hanc omnem consilia malo-
rum peruertent. Quid detractores & inui-
di: cessabunt aut insecare lingua, aut virus
in auribus principis instillare, quoad cuius-
que optimi virtutem reddiderint inuisam:
quam vt extinguant, sub specie beniuolen-
tię durissimis prouincijs onerabere: vel tibi
labores herculani proponentur vel Chy-
mere Bellorophōtis obijcietis, vel vt iugur-
tha parentum nostrorum memoria proli-
gare difficillimas bellorū procellas cogaris.
Quid si vel iniquitate locorū vel hostiū ma-
gnitudine, vel arbitrio fortunæ, cuius vis
pręsertim in bello multum pollet, infeliciter
gestare exercitum amittas, audebis patriā
reuisere regique, cui carnifex animus est, te